

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica oculi

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

cit, sed infirmitatem eorum patienter tolerat. Similiter enim adhuc hodie affectus est erga te, me, & omnes peccatores: calamus quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet, Esa. 42. v. 3. Sed si benedictus Domini ceciderit, non projicietur, quia Dominus sustentat manum suam, Psal. 37. v. 24.

Vis inferitur huic textui quando Pontifex hinc potestatem utriusque gladii, & spiritualis & politici sibi adstruere satagit. Neque enim Christus Apostolos gladiis corporalibus se munire jubet, sed hoc ipso indicat ipsis futurum periculum, quod proxime instet, ubi tacite ipsis spiritualem

armaturam commendat, quibus & nos hodie omnes & singuli indigemus. Vita enim nostra perpetua militia est, Job. 7. vers. 1. Atqui nemo coronatur, nisi legitime certaverit, 2. Tim. 2. vers. 5. ideo ferendum & certandum, si coronam vitæ, Apoc. 3. vers. 13. coronam justitiæ, 2. Tim. 4. vers. 8. immarcescibilem gloriæ coronam aliquando reportare velimus, 1. Petr. 5. v. 4.

Quam nobis omnibus tempore suo largiri dignetur ex gratia, Deus cœlestis Pater, per Jesum Christum, in Spiritu sancto, Deus laudandus nunc & in secula, Amen!

## DOMINICA OCULI.

Textus.

*Ex Historia Passionis Jesu Christi.*

EXORDIUM.

**H**Odierna Dominica dicitur Dominica Oculi, quia olim in Ecclesia Latina in introitu cecinerunt ex Psal. 25. Oculi mei semper ad Dominum. Hoc ipso Majores nostri respexerunt, ad hodiernum Evangelium, in quo de obfesso agitur, cui Diabolus linguam ligaverat, ut non potuerit loqui, aures, ut non potuerit audire, oculos, ut nequirit videre. Verum Servator Christus miserum hunc homuncionem respicit, & Dæmonem ab eo expellit, ut ex tempore

restituatur & sanetur, sicut pluribus S. Lucas describit, cap. 11. v. 14. - 18. Ideo recte dicitur Oculi, sive aperi oculos, ut consideres

1. *Triplicem Quærelam*, quæ nobis in Evangelio proponitur, ubi spectes

1. *Obsessi spectaculum*, quod indicat nobis Satanae truculentiam & tyrannidem, quam adhuc hodie exercet, si ipsi Deus id permitrat. Ideo vocatur Abaddon, Apoc. 9. v. 11. O quot occæcat, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est

est imago Dei, 2. Cor. 4. v. 4. Quot surdos efficit, ut verbum Dei audire nolint, velut Judæi, Jer. 6. v. 10. Quot reddit mutos, ut justitiam non loquantur, Psal. 58. v. 2. sed stultiloquium & scurrilitatem, quæ non decent Christianos, Eph. 5. v. 4. si ed rem deducit, plenam potestatem habet, tandemque præcipitat in stagnum, ardentem sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

2. *Recidiva periculum.* Non enim otiosus est Diabolus, sed nocte & die circumit, quærens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8. ideo non securi sumus, si semel respuerimus è laqueis ejus, 2. Tim. 2. v. ult. & remissionem peccatorum consecuti fuerimus: sed qui stat, videat, ne cadat, 1. Cor. 10. v. 12. & salutem cum timore & tremore operetur, Phil. 2. v. 12.

3. *Consequens dispendium.* Quando enim homo in pristina peccata relabitur, hoc ipso Satanæ ansam ministrat, ut assumtis septem nequioribus spiritibus se ipso, in vetus hospitium lætabundus revertatur. Unde etiam ejusmodi homo difficillime ad frugem adduci potest: sed discit malum, ut non possit bene facere, Jer. 13. v. 24, transit de iniquitate ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19. dum mensura impleta, thesaurizat sibi iram Dei, in die iræ, & revelationis justitiam judicii Dei, Rom. 2. v. 5.

II. *Triplitem Medelam, quæ fluit*

1. *Ex Christi miraculo.* Hoc ipso enim luculenter probavit, se promissum esse mundi Messiam, de quo prædictum, quod contriturus caput serpentis, Gen. 3. v. 15. giganti prædam erepturus, Esa. 49. v. 24. & in sanguine testamenti sui emissurus sit

vinctos suos de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11.

2. *Ex Dei digito, quo Dominus Diabolum expulit, & miraculum suum patravit, sicut expresse ait in hodierno Evangelio, se per digitum Dei Dæmonia ejecisse. Quod si igitur id Deus digito perficere potest, quanto plus præstare poterit dextera sua, quæ omnia mutare valet, Psal. 77. v. 11. & brachio suo, quo potentiam facit, Luc. 1. v. 51. Ideo confidamus ipsi semper. Non enim impossibile est apud illum ullum verbum, Luc. 1. v. 37.*

3. *Ex mulierculæ encomio, ait enim de Christo clara voce: Beatus venter, qui te portavit! Quia vero Christus respondet & ait: Beati, qui verbum Dei audiunt & custodiunt, patescit hinc, quod pius Christianus, qui verbum Dei veneratur, & ad illud vitam suam componit, æque beatus sit, ac Maria, Domini Mater, quæ Dominum in utero portavit, & uberibus suis nutrit. Non enim propterea beata est facta, sed quia credidit, Luc. 1. v. 45.*

III. *Triplitem Cautelam, tribus Regulis inclusam, quarum*

1. *Diabolo resiste.* Hoc fiat per fidem, 1. Petr. 5. v. 9. Diabolus enim est Spiritus impudens, qui identidem corda pulsat, ubi vero cor fide munitum & oppellulatum est, ibi quidem requiem quærit, sed non invenit, & re infecta discedat oportet. Hinc Jacobus: Resistite Diabolo, & fugiet à vobis, Jac. 4. v. 7.

2. *Concordiam fove.* Id Christus mandat, inquiens: Omne Regnum in seipsum divisum, desolabitur: & domus supra domum cadit. Concordiæ enim res parvæ crescunt, discordiæ magnæ dilabuntur. Id-

eo deponamus omnem dolum, & simulationes, & invidias, 1. Petr. 2. v. 1. contra vero solliciti simus servare unitatem Spiritus, in vinculo pacis, Eph. 4. v. 3. Psal. 133. vers. 2.

3. *Blasphemias fuge.* Nefandam blasphemiam commiserunt illi, qui dixerunt, Christum in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia. Fugiat id quilibet cui animæ salus curæ est. Levit. 24. v. 11. iussit Deus blasphemum lapidibus obruere. Non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumerit nomen Domini in vanum, Exod. 20. v. 7.

Compendiosa iterum hodierni Evangelii Idea hæc est. Nunc absque ulteriori præambulo ad Passionis Dominicæ Declarationem accedamus, Partes sunt duæ :

- I. Horti ingressus.
- II. Judææ accessus.

J. J.

### Exegetis.

**V**eniat Dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pretiosum suum: ita invitavit sponsa spiritualis sponsum suum celestem, cui ipse responderet: Venio in hortum meum, soror mea sponsa, messui Myrrham meam cum aromatibus meis, Cant. 5. v. 1.

Hæc verba allegorica sunt, & quamvis per hortum hunc Ecclesia Judaica potissimum intelligatur, in quam Filius Dei venit, cum naturam humanam assumpsit: attamen hortus Oliveti non excludendus est, in quo amaras Myrrhas adeo copiose messuit, sicuti tempore messis frumentum metere solemus, ut sudorem sanguineum, præ ani-

mæ dolore emiserit, & Angelo de cælo ipsum confortare opus fuerit, ut prælecta Historia testatur.

In prima hac parte notandum est

1. *Tempus.* Accidit id, postquam agnum Paschalem cum discipulis suis Dominus comedisset, & hoc ipso Leviticis V. T. Ceremoniis finem imposuisset, loco autem ejus sacram Cœnam instituisset, quod Evangelista indicat hisce verbis: Et hymno dicto. Judæi enim peculiarem hymnum habebant, ex 8. Psalmis concinnatum, nempe à 111. usque ad 119. quem Alleluja Magnum vocabant, & quando agnum Paschalem comederant, finiebant cœnam illam hymno hoc: id quod & Servator noster cum discipulis suis observare voluit, ad instructionem nostram, ut & nos Deum cæli & terræ, pro omnibus beneficiis ejus, quibus nos copiose & indes cumulat, ex animo laudemus & celebremus. Psal. 50. v. 14, 23. Eph. 5. v. 18.

Imprimis, quando comedimus, & satiati sumus, gratiarum actionem omittere minus debemus, ut Deus ipse præcipit, Deut. 8. v. 10. Omnia enim per preces sanctificantur, 1. Tim. 4. v. 5.

2. *Locus, & quidem*

1. *Aquo.* Qui erat Hierosolyma, & cœnaculum in quo cum dilectis suis discipulis agnum Paschalem comederat. Ita discipulus hinc, quod quidem salva conscientia convivium adire, & cum probis conversari hilariter possumus, sed & in tempore desinendum est. Tempestive à convivio recede, Sir. 32. v. 15. 16. 17.

2. *Per quem.* Hic fuit torrens Cedron, ut Johannes testatur, qui nomen accepit sive ab umbrositate loci, quia utrinque in

litore

litore magnæ Cedri steterunt , quæ torrentem hunc inumbrarunt , ut aqua ejus subnigra visa fuerit ; vel quod magis credibile est , à cæno & stercore , quod ex urbe in torrente hoc confluit , unde torrens Kidron sive niger appellatus fuit , Hoc mystice interpretari possumus . Nos peccatis nostris promeriti fueramus , ut in infernalem torrentem Kidron æternæ damnationis abjiceremur . Verum Christus abitu hoc suo luctuoso nos ex illo redemit , ut jam cum gaudio exultare possimus :

Grates Deo, strata est via,  
Nobis patescit cælum :  
Christi recludit gloria  
Ante fuit quod clausum :  
Hinc gestiat mens gaudio,  
Quæ præparat se sedulo  
Ad subsequendum Christum.

3. *Ad quem*, nempe ad montem Olivæ, & quidem in villam, quæ dicitur Gethsemane, id interpretativè est pressura Olivæ, unde non sine causa factum , ut Christus prope Gethsemane, hoc est, Olivæ pressuram, internam passionem suam inceperit : sed hoc ipso innuere voluit, se cum esse, qui torcular iræ divinæ solus calcaverit , Esa, 63. v. 2. & stolam suam in vino, & pallium suum in sanguine uvæ laverit , Gen. 49. v. 11.

Nobis adhuc hodie sæpe cum Salvatore nostro ad Gethsemane progrediendum est, juxta illud : In mundo pressuram habetis, Joh. 16. v. ult. Quilibet pressuram suam habet. Christus & S. Martyres pressuram sanguineam , quando velut oves ad macan-

dum ducuntur, & usque ad sanguinem resistere coguntur, Hebr. 12. v. 4. Pauperes pressuram bonorum & facultatum, veluti Lazarus, ad ostium divitis jacens, Luc. 16. v. 20. Tentati pressuram animi, veluti Paulus, quem Angelus Satanæ quotidie colaphizabat, 2. Cor. 12. v. 7. quod nihil aliud fuit, quam spiritualis tentatio, quæ illum ob persecutionem, quam in Christianos exercuit, ad desperationem adigere tentavit. Quam mentis pressuram, Hiob, David, Lutherus, aliique plures compererunt. Verum non malo sine illa immittitur : sed ratione Filiorum Dei, nihil aliud est, quam efficax remedium, quæ illi à peccatis præservati, ad vitam æternam conservantur, 1. Cor. 11. v. 31. 1. Petr. 4. v. 2. 12.

2. *Ratione consueta frequentationis* : frequenter quippe Jesus convenerat illuc, cum discipulis suis, unde & Judas, qui trahebat eum, locum hunc sciebat.

Nos hodie tenus templa nostra habemus, in quibus ad preces Deo offerendas convenimus, unde & domus Orationis illa appellantur, Luc. 19. v. 46. Imo, quilibet Christianus cubiculum suum habet, ubi in abscondito orationem suam fundere, & cordis desideria DEO explicare potest, Matth. 6. v. 6. Equum autem est, ut ad exemplum Christi, sæpe ad precationem conveniamus, sive etiam in precatorio nostro genua flectamus, & tam nostram ipsius, quam universæ Ecclesiæ calamitatem & desideria ad DEUM deferamus, non dubitantes, quin in tempore percepturus ea sit, & opem laturus. Prope enim Dominus invocantibus est, Psal. 145. v. 18,

Verum

Verum sicut Judas quoque locum scivit, ubi Servator orationem suam exantlavit, sed raro eum invisit: Sic adhuc hodie multi tempus norunt, quando Christiani ad orandum conveniunt: verum infrequentes iisdem interfunt: ideo hæc notitia ipsis inutilis, & damnatio gravior erit. Scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est, Jac. 4. v. ult.

Quod vero Servator non alibi, quam in horto mortis sui agonem aggredi voluerit, id non fortuito factum. In horto Paradisi peccatum introductum erat, ideoque in horto Oliveti rursus expiandum fuit. Ibi mandatum Dei fractum, hic transgressionem vicissim frangi æquum fuit. Ibi ira Dei inflammata, quæ hic exstingui iterum debuit. Ibi mors in mundum intraverat, hic vita ipsam absorbere oportuit. Ibi morbus peccati inceperat, hic ille rursus angore Filii Dei sanandus fuit. Ibi homo coram iudicio Dei constitit, DEUS namque vocabat eum, dicens: Adam ubi es? Gen. 3, 10. hic homo per expiationem Advocati & Intercessoris à iudicio Dei redimendus fuit. Ibi homo ob inobedientiam condemnatus, hic per Christi obedientiam iterum absolutus est. Hæ graves omnino causæ sunt, propter quas Servator in horto Oliveti agonem suum incipere voluit. Semper propterea hoc meminerimus, quando in vitiis daria nostra ambulamus: sic sane liliis convallium minus abutemur, nec peccabimus, Sir. 7. v. 40.

2. *Christi angustia*, quæ sufficienter apparet

1. *Ex Apostolorum segregatione*. Assumpsit enim Petrum & duos Filios Zebedæi, Ia-

cobum & Iohannem. Petrum propterea quia se cum Christo in carcerem & in mortem iturum præsumserat. Reliquos duos, quia, an possent calicem bibere, quem Dominus bibiturus esset, & baptisate, quo ipse baptizaretur, baptizari, interrogati, nimis temerarie responderunt: Possumus, Matth. 20. v. 22. ut spectarent, qualem agonem hic exantlandum haberet Servator, quo parcius de se sentientes, infirmitatem suam agnoscerent.

Reliquos vero ad radicem montis relinquit, illisque mandat, ut sedeant ibi donec orationem suam finierit. Quo simul exhibet nobis

1. *Crucis probam*, quæ piis à Deo immititur, ubi unum propius adducit, quam alterum. Optime enim novit ille,

Quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Interea verum manet: Ubi multum crucis, ibi multum lucis & consolationis, Chrystomo adserente, 2. Cor. 1. v. 5. Psal. 126. v. 5.

2. *Solitudinis fugam*. Christus non solus manet: sed adsumit sibi tres discipulos; Ante enim in deserto satis compererat, quam commodo suo Satanas solitudinem aptare solet, Matth. 4. v. 2. Nos igitur in tentationibus & mæroribus solitudinem fugientes, conventus Ecclesiasticos & piorum consortium sedulo invisamus, quo ex piis colloquiis solatium haurientes, doloris nostri obliviscamur, Væ soli! Eccles. 4. vers. 10.

2. *Ex publicia contestatione*, quam edidit

1. *Corporis tremore*. Cæpit enim contristari, & pavere & angere. In Græco vocatur

culæ emphaticæ adhibentur. 1. *λυπείσθαι*, quæ de Davidis luctu, quo Absolonis mortem persequatur, usurpatur, 2. Sam. 18. v. 2. 2. *ἐκθαμβείσθαι*, quod est contremiscere, & de mulieribus, sepulchrum Christi visitantibus dicitur, Marc. 16. v. 5. 3. *ἀδημονεῖν*, quod est tanto angore, quanto moribundi & animam agentes infestati solent. Hæc omnia nostri gratia facta sunt. Peccatum enim ceu maximum malum, tandem nil nisi mortis & inferni cruciatus consequi solent. De his Christus liberavit nos, per contristationem, pavorem & angorem, quæ in horto oliveti sustinuit. Solatium igitur hinc hauriamus, quando in animi anxietatibus constituti, querulari cogimur: Tribulationes cordis mei dilatatae sunt, Psal. 25. v. 17. imprimis vero caveamus, ne malitiosè peccemus, & hoc ipso animi angorem nobis attrahamus. Voluntariè enim peccantibus nobis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, Hebr. 10. v. 27.

2. *Verborum tenore.* In quibus observanda

1. *Querela*, quando ad Discipulos ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. *Περὶ λυπὸν* est in Græco, h. e. undique coangustatus sum, & mœrore adeo perturbatus, ut nihil nisi præsentissima mors ob oculos mihi versetur. Sancti Martyres lætabundi ad martyria properarunt, sicut imprimis de Stephano Poëta ait:

Ibat ovans animis, & spe sua damna levabat.

Idem de Laurentio, Babylâ aliisque historia Ecclesiastica memorat. Quæ igitur causa est, quod Christus adeo contrista-

tur, pavefcit, & angitur, ubi Passionem suam subiturus est? Ah Dilecti! ingens discrimen occurrit inter Servatorem & sanctos Martyres,

Sancti Martyres erant homines privati, & licet atrocissimam mortem, quam sustinuerunt, coram mundo non meruerant, attamen apud Deum innocentes non erant, Exod. 34. vers. 7. Christus vero erat sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. Nihilominus eum Pater ejus cælestis pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. ult. Ideoque dorso suo bajulabat non modò unum atque alterum peccatum: sed totius humani generis inobedientiam: Omnia crimina, peccata & flagitia, quæ ab exordio mundi homines commiserunt, indies adhuc committunt, & in posterum commissuri sunt, sicut hanc ipsam ob causam vocatur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29.

Ecce, hoc ipsum Christo hanc contristationem, pavorem & angorem effecit. Sed omnia nostro bono facta sunt: *Nisi timuisset Christus, nos liberati non essemus, nisi doluisset, dolores à nobis non abessent*, ait Cyrillus. Sed jam cum Paulo dicere possumus: Justificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1.

2. *Cautela.* Manete hęc ait, & vigilate mecum, & orate, ut non intretis in tentationem. Dupliciter ipsos in his verbis instruit,

1. *Ad vigilandum*, id & spiritualiter & corporaliter intelligendum est. Quia enim periculum instabat, præcipiebat ipsis  
x  
Chri-

Christus, ut vigilarent, & somnum excuterent, maximè verò Spiritu vigilarent, ne Diabolus ipsis imponeret, qui noctu negotiosus esse, & hominibus dormientibus zizania sua disseminare solet, Matth. 13. v. 25.

Nobis quoque hoc observandum venit. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, nos autem qui diei sumus, sobrii simus, 1. Theff. 5. v. 7. Matth. 24. v. 43.

2. *Adorandum.* Hoc unicum illud necessarium est, quo carere non possumus. Omnia enim per orationem sanctificantur, 1. Tim. 4. v. 5. Ideoque nulla vocationis opera nos abstrahere debent, quin omnia precibus ordiamur, peragamus & consummemus. Et solatium hoc restat nobis, quod labor noster in Domino non inanis futurus sit, 1. Cor. 15. v. 18.

3. *Ex trina supplicatione*, oblatâ Patri cœlesti,

1. *Ardenter.* Avulsus enim ipse est à discipulis, quantum jactus est lapidis, ut indicaret, se unicum esse Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5.

Interea nos hinc exemplum capimus, sicut Christus oraturus à Discipulis suis separavit se: ita & nos corda nostra à mundo & omnibus terrenis abstrahamus, & unicè ad Deum elevemus, quando efficaciter & cum successu orare volumus. Quemadmodum enim uno oculo non simul cœlum & terram spectare; ita nec uno corde simul Deo & creaturis adhærere possumus. Jac. 4. v. 4.

2. *Reverenter.* Positis enim genibus orabat: Ita noli elato animo esse sicut Pharisæus Luc. 18. v. 11. sed agnosce cum Abrahamo, quod pulvis & cinis es, Gen. 18. v. 27.

& humilia te sub potenti manu Dei, 1. Per. 5. v. 6. humilium enim deprecatio semper ipsi placuit, Judith. 9. v. 16.

3. *Confidenter.* Deum enim in summa mentis conturbatione Patrem suum appellat, quamvis ille durû se ei exhibeat. Nos similiter nec murmurare, nec iniquo animo ferre debemus, quando Deus cruce nos affligit, Quos enim diligit Dominus, castigat, Hebr. 12. v. 6.

4. *Patienter.* Vocat enim passionem suam calicem. Hic calix tribulationis est, quem Deus in manu tenet, Psal. 75. v. 9. ut omnes ex eo bibere, & portionem nobis deputatam ex eo capere teneamur. Christianus enim Crucianus: sed hoc solatium nos confirmare potest, quod & Christus ex eo biberit, & calicem hunc benedixerit, ut Deum diligentibus nunc omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. v. 28. Deinde horam vocat, quamvis non horam duraxat, sed noctem & diem continuam duraverit. Sed quia hoc modo in æternam gloriam intrabat utique hora tantùm æstimanda erat. Ideò nos eò semper respicientes, firmiter credamus, passiones hujus temporis non condignas esse, ad futuram gloriam, Rom. 8. v. 18.

Quod si igitur & tu precaris, & exauditiō desiderata non sequitur, recorderis velim portionem hanc calicis, & horam afflictionis, quam Christus expertus est: expecta Dominum, viriliter age, Psal. 27. v. ult. Veniens veniet, & non tardabit. Hab. 2. 3.

5. *Decenter.* Totus enim voluntati Patris cœlestis se tradit, inquit: Patet si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Sic & nos in temporalibus voluntati nostræ renun-

cian-



cientes, dicamus: Domine fiat voluntas tua, Matth. 6. v. 10. Ipse enim optimè novit, quibus indigeamus, Matth. 6. v. 32. & sicut Pater miseretur filiorum, sic ipse miseretur nostrum, Pl. 103. v. 13. Noli cogitare, si Deus in corporalibus te non exaudit, quod odio habeat te. Nequaquam. Moses Deo gratissimus erat, & tamen prout precabatur, Palæstinam ingredi non poterat, Deur. 34. v. 5. David pro sanitate filiioli intercedens frustra orabat, moriebatur enim die septimo, 2. Sam. 12. v. 18. Paulus rogabat Dominum, ut Angelus Satanæ, qui colaphizabat eum, discederet à se, & respondebatur, ipsi: Sufficit tibi gratia mea, 2. Cor. 12. v. 9. Hinc Bernhardus: *Unum ex duobus indubitanter sperare possumus, aut dabit, quod petimus, aut quod noverit nobis esse utilius.* Id semper meminerimus nos. Commenda Domino vias tuas, Plal. 37. v. 5.

4. *Ex vehementissimâ colluctatione, quam prodit*

1. *Angelica confortatio.* Apparuit enim illi Angelus de cælo, confortans eum. Non dubium est, quin sancti Angeli Servatori assiduè ministraverint, Matth. 4. v. 11. Sed hîc peculiaris Angeli mentio injicitur, qui eo sine venit, ut confortaret Dominum. Sine dubio Archangelus Gabriel fuit, ut vocula *גבריאל* indicat, Gabriel enim est fortitudo Dei: & mirandum sanè est, eum hîc ab Angelo confortari, qui omnia portat verbo potentia suæ, Hebr. 1. v. 3. Sed nos solatium hinc hauriamus. Quia enim ejusmodi Pontificem & Servatorem habemus, qui tentatus est, sicut & nos in omnibus, de misericordia ejus ne desperemus, sed firmiter cõfidamus, quod compassurus sit infirmitatibus nostris, Hebr. 4. v. 15. nec

quenquã eorum, qui ei confidunt, passurum tentari, supra id quod potest, 1. Cor. 10. v. 3.

2. *Sudoris cruentatio.* Et factus in agoniam prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentes in terram.

Si hîc decem Galeni, viginti Avicennæ, triginta Hippocrates, & ut breviter dicam, omnes Medici & Philosophi in toto mundo omnem artem & sapientiam suam conferrent, nunquam tamen explicabunt, quâ ratione hoc factum sit.

Aliàs naturaliter fieri amat, si homo male se habere incipit, ut sanguis ad præcordia se retrahat, & externa hominis membra palleant, utpote ex quibus sanguis se subduxit. Hic verò in agoniam Servatoris, guttæ sanguinæ cumulativè de corpore ejus prorumpunt, & in terram decurrunt.

Alii moribundi gelidum aquæ sudorem emittunt: at Christus gelidum sanguinis sudorem. Alexandro Magno oculi sanguine stillabant, quando in aciem progrediebatur. Scanderbegio labia sanguine purpurabant, quando in prælio contra Turcas irâ effervecebat. Christus verò majori fervore & zelo contra hostes salutis nostræ depugnat, propterea sudor sanguineus de toto ejus corpore largissimè manat. Hic videmus SILOH, qui in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum lavit, Genes. 49. v. 11. Hic conspicimus eum in labore molestissimo, què ei fecimus in peccatis nostris, Es. 43. v. 25. Hic vermiculus cocci-neus est, Pl. 22. v. 7. cujus rubrâ tinctura nomina nostra in cælo scripta sût, Luc. 10. 20.

O Christiane! ne permittas guttas has sanguineas in terram cadere, sed excipe easdem, corde contrito, & quando Satanas ob peccata te infestat, noli desperare: quot

sanguinis guttulas Christus stillavit, tot testes habes, qui acclamant tibi: Nulla condemnatio est in omnibus iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

Hoc verò meritò deplorandum est, quod peccata nostra Servatori Optimo sudorem sanguineum expresserint, nobis verò ne quidem lacrymulam aquæ exprimere possunt, ut lacrymaremur, sicut David, Maria Magdalena, & Petrus, & doleremus, de peccatis commissis. Hæc nefanda est obduratio. Ah deplorate, deplorate peccata vestra, & gratiam quarite lacrymis, sicut cives Bethulienfis, Judith. 7. v. 18. & misericordiam consequemini. Irritata enim est anima ejus super miseriam Israelis, Jud. 1. v. 16.

3. *Apostolorum incuria.* Tam altè enim stertunt, ut Dominus eos excitare opus habeat, attamen frustra id fit, & simulac Dominus discedit, in somnum relabuntur, & oculi eorum erant gravati somno, ut nescirent, quid responderent ei. Iccirco objurgat eos Servator, & primò quidem in specie Petrum: Simon dormis? Non potuisti unâ horâ vigilare! Deinde ad reliquos: Dormite jam & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce, appropinquavit, qui me tradit.

Tria hic nobis perpendenda occurrunt:

1. *Christi dehortatio.* Nullos enim dormitores vult habere, sed vigilantes, qui semper alacres sint, Luc. 21. v. 36. & contendant ad salutem, Luc. 13. v. 24. Petrus audacter præsumerat, se vitam & sanguinem pro Christo profusurum esse: Sed jam jacet & dormitat. Idèò Dominus eum

in specie alloquitur, inquiens: Non potuisti unâ horâ vigilare mecum, q. d. uti Chrysostomus explicat: Vigilare mecum non potuisti, & mecum mori voluisti. Quilibet caveat, ne somno peccatorum & securitatis corripatur. Nox enim abscessit, dies autem appropinquavit, Rom. 13. v. 12. idèò jam bona operari oportet, donec dies est, antequam nox veniat, quando nemo potest operari, Joh. 9. v. 4.

2. *Anne. caratio.* Spiritus enim promptus est, caro autem infirma. Per spiritum intelligitur homo renatus, qui delectatur lege Dei, secundum interiorem hominem, sed carnem & sanguinem in sinu gerit, videtque aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, Rom. 7. v. 14. Hæc pugna carnis & spiritus est, de quâ Paulus agit, Galat. 5. v. 17. Sed cavendum est, ne carni frena laxemus. Qui enim seminat in carne sua, de carne metet corruptionem, Gal. 6. v. 7. 8.

3. *Periculi instantis significatio.* Dormite jam, & requiescite, ait. Hoc ironice capiendum est, quò Christus innuere vult, non jam tempus dormiendi & stertendi esse. q. d. Dormite modò in utramvis aurem, mox novellas experiemini, Judas non procul abest, qui armata militum manu adveniens somnum vobis excutiet, quia bonis verbis & admonitionibus efficere nequeo, ut horam mecum vigilassetis.

Hoc tandem evenire solet, si verbis locum relinquere nolimus, sed continuo in peccatis & securitate pergamus, quod Deus postea cataphractatios immittit, qui securos ejusmodi homines tandem hastis & gladiis excitant. Ne erretis, non irridetur Deus, Gal. 6. v. 7.

## De Secundo.

**P**rogridiemur nunc ad alteram partem, Judæ accessum perpensuri.

Hic occurrit

1. *Judæ malitia*, quam clarius perspicimus, si intruemur,

1. *Sodalitium*. Non enim solus venit, sed cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à Principibus & Senioribus populi.

Hic imaginem habemus *Ecclesiæ malignantium*, quæ semper in more habuit, externa vi & armis errores propagandi. Exemplum adhuc hodie habemus in Pontificiis, qui velut Saulus minas & cædes spirant, adversus discipulos Domini, Act. 9. vers. 1. quod à Patre suo Diabolo didicerunt, qui homicida & mendax est ab initio, Joh. 8. v. 44.

2. *Artificium*. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, ait Evangelista, Metuebant, ne proditorem prehenderent, ideo Judam conduxerant, ut daret sibi signum, ne in capiendo Christo aberrarent. Insignis sane oscitantia! Christus quotidie cum ipsis conversatus docuerat in Templo & Synagogis eorum, & ipsi ignorabant ipsum. Quod clarum est indicium quod non multum Conciones ejus audierint, aut eas in pretio habuerint, sicut adhuc hodie inter medios Christianos reperiuntur, qui aliquamdiu Templum frequentarunt, & tamen Christum nesciunt, sic ara ignoti Dei in medio Christiano orbe hodie invenitur, Act. 17. vers. 23. Sane flagitium est, hæc à Christianis audiri, in tam clara verbi luce. Hæc namque vita æter-

na est, ut cognoscant te solum verum Deum, Joh. 17. v. 3.

2. *Christi fiducia*. Scivit enim Jesus, quæ eventura sibi essent, ideo obviam hostibus procedens, dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire, &c.

Hinc elucescit

1. *Prompta Christi obedientia*, de qua Augustinus: Non mortuus est ex necessitate, quia omnipotens, neque ex debito, quia sanctus & immaculatus, sed ex libera voluntate, quia misericors, & miserator Dominus. Quis non hinc constiteret, cum Moise exclamans: Diligit populos, Deut. 33. vers. 3.

2. *Immensa Christi potentia*, si inspiciamus

1. *Hostium lapsum*. Dicente enim Christo, ego sum; abierunt retrorsum, & ceciderunt, quasi fulmine prostrati, in terram. Hoc luculentum indicium, quod major fuerit comprehensi virtus, quam comprehendentium, ut Leo ait,

Exhorrescite hinc vos Ecclesiæ hostes & Tyranni! Si protector noster verbulum modo loquitur, pereundum vobis est. Quod si enim in statu exinanitionis, passionem jamjam aggressurus, hostes suos ita pessundare potuit: quid putatis, jam præstiturum eum, ubi ad dextram Dei sederet, instar Majestatici Regis dominans super omnem principatum & potestatem, Eph. 1. v. 21.

Vobis vero vos mei! in solatium id cedit. Quando fremunt gentes & Reges terræ consultant adversus Dominum & adversus Christum ejus, Psal. 2. v. 2.

Nos ejusmodi Salvatore gaudemus, qui ipsis par est ad resistendum, Furor hominum est laus ejus, reliquis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Esa. 40. v. 26.

2. *Salvum conductum.* Pontificum & Scribarum mens erat, Christum cum discipulis extirpandi. Verum Servator frenum injicit truculentiae, mandatque ut discipulos suos missos faciant.

Adhuc hodie deprehendimus, quod Deus Ecclesiae suae providentiam agens, metam figat hostibus, ultra quam illis progredi non licet. Usque huc venies & non procedes amplius, Job. 38. v. 11. Haec tua esto fiducia, qui te tangit, pupillam oculi ejus tangit, Zach. 2. v. 9.

3. *Osculi impudentia.* Accedens enim Jesum dixit: Ave Rabbi, & osculatus est eum. Jesus non ignorabat, quid osculum hoc sibi velleret, propterea dicit ad Judam: Amice, ad quid venisti? Osculo Filium hominis tradis? q. d. haec cine gratia est, quod te in Collegium Apostolicum assumi, quaestorem constitui, quadriennium ferme in mensa mea alui, & in Schola mea adeo fideliter institui? Sane non abs te queri reneor: Etiam homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, petit me calce, Psal. 41. v. 10.

Hic exhibetur

1. *Exemplum amoris fucati*, quale quid etiam in ultima hac mundi fece valde familiare est, juxta Adagium:

*Os nectar pruit, mens acynita vomit.*

Mel in ore, verba lactis,

Fel in corde, fraus in factis

Vide Jer. 9. v. 5. Psal. 55. v. 22.

2. *Exemplum discipuli ingrati.* Judas per

quadriennium fere scholam Christi frequentarat, sedulo ab eodem institutus: jam vero mercedem pessimam ei persolvit.

Idem multi fideles Praeceptores ab ingratis suis discipulis experti sunt, & hodie tenus experiuntur. In Prophanis occurrunt Aristoteles, Hercules, Galeacius, Sfortia, Nero alique. Sed, qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus, Prov. 17. v. 13.

4. *Militem sevitia.* Accesserunt namque & manus injecerunt in Jesum & tenerunt eum, Perpendite rem ex aequo Vos mei! & intelligeris, quam malitiosi hi homines fuerint. Non fugiebat illos, Christum multa signa in caecis, surdis, mutis, leprosis, obfessis, &c. patrassè. Oculis suis viderant, quomodo se omnes verbo prostraverat. Audebant item quomodo proditorem monuit, & ut Dominus omniscius consilia ejus nefatia manifestavit: attamen adeo obdurati sunt, ut haec omnia fusque deque habeant, & osculo Christum notatum, vi invadant, & vinciant, ne ipsis vicissim elabatur.

Conspicimus hinc, quod saepe homines propter pecuniam delinquant. Milites hi opinabantur, quia Pontificum stipendia merebantur, se ab omni ratione reddenda immunes fore, licet Christum inique prehenderent, Verum die extremo unusquisque pro se rationem reddet Deo, Rom. 14. v. 12. Gal. 6. v. 5.

Quod vero Servator sua sponte se prehendendum obtulit, in nostrum emolumentum factum est. Captus quippe est, ut nos à captivitate Daemonum liberaret, Augustino dicente, Col. 1. v. 12. Hebr. 2. v. 15.

5. Pe-

## 5. Petri audacia, iudicanda

1. Ex ipso facto. Reliquis enim Apostolis quarentibus: Domine, si percutimus in gladio? ipse responsum non expectavit: sed stricto gladio percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram.

Hæc insignis temeritas fuit, quod miser hic Piscator universæ turbæ exercitatorum militum se opponere non dubitavit. Eò pertraxit eum ira, quæ in sinu stulti requiescit, Eccles. 7. v. 10. nihilque aliud est, quam brevis furor. Nohigitur iracundiæ frenum laxare, justitiam enim Dei non operatur, Jac. 1. v. 20.

2. Ex Christi responso. Non enim hæc audacia ei probatur, sed displicentiam desuper contestatur,

1. Verbaliter, dum gladium mittere jubet in vaginam,

1. Quia illicitum: Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, q. d. Petre, Petre, scisne quid facias? Non te militem vocavi, ut gladio ferias: sed Præconem & Apostolum, ut armis militiæ spiritualis destruas omnia consilia, & omnem altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei, 2. Cor. 10. v. 5. claves tibi tradidi, Matth. 16. v. 19. gladium vero Magistratui politico commendavi, Rom. 13. vers. 4. qui igitur contra Deum & verbum ejus gladium privatae vindictæ exercendæ causa acceperit, per gladium peribit, & sibi ipsi maximum incommodum attrahet. Stultum enim occidit indignatio, Job. 5. v. 2.

2. Quia superfluum. An putas, inquit, quia non possum modo rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum.

Hoc ipso indicat, si tempus pateretur, se pro duodecim Apostolis duodecim legiones Angelorum precariò accepturum à Patre suo cœlesti. Hæc magna multitudo est. Una enim legio, teste Hieronymo, Corpus erat ex sex millibus virorum constans. Livius, legionem quinque millia peditem & trecentos equites habuisse scribit. Fl. Vegetius de re militari lib. 2. c. 16. ait, legionem habuisse decem Manipulos, (Manipulus habebat centurias duas.) Si ad calculum revoces, 72300. pedites, & 8760. equites: si summam subducamus: 81060. Angelos.

Quod si igitur unus Angelus in Ægypto omne primogenitum percussit, una nocte, Exod. 12. v. 29. & in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia, 2. Reg. 19. v. 35. facile hinc conjicere possumus, quantas copias Christus collegisset, si Patrem suum duodecim legiones Angelorum rogare voluisset.

Hoc consolationi nostræ inserviat. S. Angeli sunt Spiritus administratorii, emissi in ministerium eorum, qui hæreditabunt salutem, Hebr. 1. v. ult. Quando igitur Diabolus circumit velut Leo rugiens, quærens quem devoret, 1. Petr. 5. vers. 8. bono estote animo Dilecti! S. Angeli similiter non feriantur, sed præstantur cum Dracone, Apoc. 12. vers. 7. Timeamus modo Dominum, & vitæ sanctimonie studeamus, nec præsidium nobis deerit. Castra enim metatur Angelus Domini, circa timentis eum, & eripit eos, Psal. 34. vers. 8.

## 3. Quia incongruum,

1. Respectu exhibiti Calicis. Calicem inquit, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam

bibam illum? Quo ipso intelligit omnia, quæ Pater ejus cœlestis loco lapsi generis humani ipsi patienda decreverat, ideo Matth. 20. v. 23. calicem suum appellat.

Hoc consolatione refertum est. Quilibet enim certum suum demensum habet, Actor. 9. v. 16. & tenetur cum Christo ex hoc calice bibere: Verum Christus eum primus sanctificavit, ideo non est, quod ægre feramus. Potio mensurata est, quæ modum non excedit, & scimus, Deum, qui nobis eam infudit, fidelem esse, nec pati nos tentari supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13.

2. *Respectu sacri Codicis.* Quomodo autem, ait, Servator, implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri. Deus per Prophetas multifariam prædixit, quid cum Filio suo tempore Passionis eventurum esset, id implendum fuit, non ex fato Stoico, sed ex divinæ prævisionis oraculo. Ideo quoque decretum hoc suum ad bonum finem direxit, ut Christi passio & mors ad redemptionem generis humani tetenderit, unde Augustinus: *Non sineret male fieri bonus, nisi ex malo etiam aliquid boni elicere posset.* Mirabile enim facit consilium, & magnificat sapientiam, Esa. 28. v. ult.

6. *Apologia evidentiæ,* qua Christus contra hostes suos se defendit.

Circa quam notandum

1. *Tempus.* Facta enim in illa hora, qua summi Pontifices, Magistratus Templi & Seniores, ipsum prehensum vinculis constructuri erant. Quo ipso nos docet, ne nos in extremo discrimine à veritate deterreri patiamur sed pro ea usque ad mortem certemus, Sir. 4. v. 33. Quoad usque justitia convertatur in judicium, Psal. 94. v. 15.

2. *Zelus.* Apologia enim ejus continet tria membra, & exhibet Principibus Sacerdotum, Magistratibus Templi & Senioribus

1. *Ipsorum truculentiam,* quam exerebant

1. *Nocturno incurso.* Quod enim noctu contingit, semper formidolosus est, quam quod Deus interdum huic vel illi immitit. Ideo filii hujus seculi id observare solent, & quando pios afflictere volunt, noctu id perpetrant. Qui enim male agit, odit lucem, Joh. 3. v. 20. 21.

2. *Armorum strepitu.* Venerunt enim gladiis & fustibus. Christus erat Persona Ecclesiastica, ut & discipuli ejus, propterea non indignissent ejusmodi armis, sed ex Scriptura adversus eum disputare debuissent, si sincerè cum eo agere voluissent. Quia vero in Scriptura diffidunt, ideo gladiis & fustibus rem agunt.

Hoc semper Pseudo-Prophetis in familiari usu fuit, sicut adhuc hodie meretrix Babylonica id in praxi demonstrat, unde S. Johanni ostenditur ebria, de sanguine Sacerdotum, & de sanguine Martyrum Jesu, Apoc. 17. v. 6.

3. *Falso conceptu,* ideo ait Servator, quasi ad latronem exiistis. Hoc quoque nostri causa sustinuit. Ipse enim sanctus est, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26. neminem unquam occidit, sed initio nobis omnibus vitam largitus, ideo in mundum venit, ut omnes per ipsum viveremus, Gal. 2. v. 20.

Nos latrones eramus, & quia Servator vadem se pro nobis exhibuit, ideo quoque loco nostri, hoc modo quæri & invadi voluit.

fuit. Id quod grato animo semper recolendum nobis est, Sir. 28. v. 20.

2. *Suam innocentiam*, quam demonstrat

1. *Ex quotidiana conversatione*. Quotidie, ait, vobiscum fui. Quod si injurium quid perpetrassem, non palam inter vos conversatus fuisset: verum ipsa conscientia mea mihi testis est, quod nemo vestrum ex re & vero mali quicquam mihi imputare poterit. Ideo non metui vos, nec nunc metuo, sed semper paratus sum ad satisfactionem, omni poscenti rationem, 1. Petr. 1. 16.

Hic videmus delectationem bonæ conscientia, quæ neminem exhorrescit, à nemine se abscondit, sed omnibus se judicandam sistit, exemplo esto Stephanus, Act. 6. v. ult.

Præcipua igitur hæc vestra cura sit, ut fidem & bonam conscientiam custodiatis, 1. Tim. 1. v. 29.

- - Hic murus aeneus esto,

Nil cōscire sibi, nulla pallefcere culpa. Si enim cor nostrum non condemnaverit nos, fiduciam habemus ad Deum, 1. Joh. 3. v. 21. Quod si vero fiduciam ad Deum habemus, mundum minus metuamus, qui enim in nobis est, major est, quam qui est in mundo, 1. Joh. 4. v. 4.

2. *Ex Evangelii prædicatione*. Quotidie apud vos sedebam, docens in templo, & non extendistis manum in me, q. d. Servator: Monstravi vobis viam ad cælum, & in concionibus meis unice eò collineavi, ut è Regno Satanæ erepti, ad vitam æternam custo diremini, qui igitur fit, quod hanc mihi persolvere vultis mercedem? Hoc sane de vobis non meritus sum.

Hac in re Christus exemplum & idea est, omnium fidelium verbi Præconum, hi ab eo exemplum capere debent, & diligen-

tia & patientia. Diligentia quidem, ut & ipsi quotidie in templo doceant, & munus suum fideliter obeant, arguendo, increpando, exhortando, oportune importune, 2. Tim. 4. v. 2.

Patientia vero ne mirum ipsis videatur, si & ipsi ingratitude experiantur, sed potius hoc solatium teneant, quod qui in cælis habitat, non injustus sit, ut obliviscatur operis & laboris, & dilectionis, Hebr. 6. v. 10. Ideo aliquando Doctores fulgebunt instar firmamenti, Dan. 12. v. 3.

3. *Divinam providentiam*, q. d. tum temporis, Passionis hora nondum advenerat, ideoque manum non ausi estis extendere ad me, licet me occidere desideraveritis: Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum in qua vobis Pater meus permisit facere, quæ manus ejus & consilium decreverunt fieri, Act. 4. v. 28. Est quoque potestas tenebrarum, dum permittit, ut Princeps tenebrarum, & filii incredulitatis, se mihi opponant, & animum suum expleant.

Videmus hinc sine voluntate Patris cælestis ne capillum quidem capitis nobis lædi posse, Matth. 10. v. 30. Quod si vero hostibus indulget, ut nobis incommodent, non tamen centum annos id durabit, sed horam duntaxat. Si illa finita est, luctus noster in gaudium vertetur, Psal. 30. v. 6.

7. *Fuga consequentia*. Quia discipuli vident, quod vim vi repellere nolit, omnes animum abjiciunt, & in fuga salutem quaerunt. Id describunt Evangelistæ

1. *Generaliter*. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt, sicut id ipsis Servator dilucidè prædixerat, Joh. 16. v. 32.

Hic exemplum habemus, geminae in-

1. *Erga Deum*, quod sæpe tempore persecutionis homines à Christo & doctrina ejus deficient. Apostoli ante promiserant, se omnia, vitam quoque pro Christo profuturos: sed jam, ubi res in discrimen adducta est, promissi immemores singula fugiunt. Idem hodie adhuc evenire solet. Prævum enim est cor hominis & imperfectabile, Jer. 17. v. 9. Rebus secundis plenâ in Deum fiducia alimur: simulac vero adversæ res ingruunt, animis cadimus, & tantum non desperamus. Verum quid Scripturæ Væ inconstanti corde! Sir. 2. v. 14. Apoc. 3. v. 16.

2. *Erga proximum*. Apostoli Christi intimi & familiarissimi erant, quos omni indigentia adeo aluerat, ut ipsi fateri cogantur, nihil sibi defuisse, Luc. 22. v. 36. Verum jam ubi Christus in acie novaculæ versatur, & ab hostibusprehenditur & vincitur, quilibet salutis suæ consulens, à Christo secedit. Sic adhuc hodie multi amici sunt, dum emolumentum ex amicitia capere possunt: Sed non permanent in die tribulationis, Sir. 6. v. 9.

3. *Individualiter*. Adolescens enim quidam sequebatur Jesum, amictus Sindone supero nudo, & juvenes tenuerunt eum. At ille rejecta Sindone, nudus profugit ab eis.

Quis juvenis hic fuerit, de eo diversæ opiniones sunt. Gregorius Johannem Evangelistam fuisse autumat. Verum hoc non probabile est, siquidem Iohannes non fugit, sed in palatium Principis Sacerdotum

Dominum secutus est. Theophylactus Jacobum minorem fuisse putat, vel certe filium hospitis, in cujus ædibus Christus agnum Paschalem cum discipulis suis comederat, quod loco suo relinquitur.

Intelligimus hinc, non omnes Christianos pari afflictione premi, sed alios multum, alios parum sustinere propter Christum. Apostoli in fuga sua vitam & vestes auferunt: hic vero adolescens indusium quoque suum relinquere cogitur.

Ita adhuc hodie fieri amat. Hic rapinam bonorum suorum tolerare cogitur, Hebr. 10. 3, 4. alius vero non bona modo temporalia relinquere tenetur, sed eò quoque res redit, ut usque ad sanguinem resistat, Hebr. 12. 4. Hæc ita à Deo diriguntur, qui calicem in manu habet, vini meri plenum infusum, Psal. 75. v. 9. ex eo omnes bibere cogimur, quilibet, quantum Deus ipsi ordinavit. Interea hoc solatium restat, quod si & nos cum adolescente hoc nudi propter Evangelium aufugere, & omnia quæ nostra sunt, relinquere cogimur, quod Christum induimus per fidem, Rom. 13. v. 14. & deinde die ultimo non nudi apparebimus, Apoc. 3. v. 17. Sed Jesus cooperiet nos byssino splendenti & candido, quod justificationes Sanctorum sunt, Apoc. 19. v. 8. & omnia quæ propter ipsum reliquimus, centuplo accipiemus, & vitam æternam possidebimus, Largiatur hanc nobis Deo Opt. Max. per & propter Christum,  
Amen.

DOMI-